

tiquitas: immò Macrobius lib. II. Saturnal. c. 10. statuit, *Vetus* *as*  
quidem nobis semper, si sapimus, adoranda est.

Audiamus ergò venerabilem Antistitem, qui *Sermonem*,  
lib. III. de die sancto Pascha hunc in medium orditur: *Non immerito,*  
*Fratres, hodiernā die Psalmus hic legitur, in quo Prophetæ exultan-*  
*dum præcipit & letandum: Omnes enim creaturas ad hujus diei festi-*  
*vitatem David sanctus invitat.* Hæc nempe est Exordij *πρότασις*  
seu propositio, in quâ occurrit (1) amica illa *πρόσφατης* & com-  
pellatio, quam Paulus Apostolus in omnibus ferè suis (si eam ad  
Colossenses, utramq; ad Timotheum, & ad Titum, ubi casus vo-  
candi expressim non habetur, excipias) epistolis, Petrus item Jo-  
bannes & Jacobus adhibuerunt, pro quo hodierno stilo dicimus  
**Eure Christliche Liebe**(\*)Estq; hæc compellatio tantæ efficaciam, ut  
exinde etiam *ασπονδη* hostis mutatum in melius animum, sola-  
tium & fidem concipiatur, argumento cap. XX. lib. I. Regg. v. 32. 33.  
Confer in Fragment. Esther c. IV, 8: & II. Samuel. I, 26: Ps. XXXV, 14:  
Exinde idem quoque Paulus confirmare volens certissimam Fi-  
lij Dei erga fideles suos gratiam ac benevolentiam dicit, quod  
non erubescat eos vocare fratres, Ebreor. II, 11: ex Jobann. XX, 17, ubi  
B. Brentius notanter addit, "Hoc cognomen non tribuit ipsis ci-"  
vilitatis, sed veritatis gratia: Non enim sic agnoscit eos fratres, "  
quemadmodum aliquoties legitimi agnoscunt illegitimos, qui "  
buscum non adeunt illi communem hereditatem patris æqua-"  
liter; sed agnoscit eos tales fratres, quod velit omnes habere pa-"  
ternæ ac cœlestis suæ hereditatis participes.,, Homil. VII: in Jo-  
bann. (2) Versiculus est viceimus quartus Psalmi CXIIXVI, Hæc  
est dies, quam fecit Dominus, exultemus & letemur in eâ: quæ sunt  
verba fidelium exultantium de resuscitatione & resurrectione,

A 2

sui

(\*) Sic idem Noster Ambrosius Serm. 89. de Bell. tumult, *Di-*  
*lectionem Vestram fortasse plus moveat: Augustinus alicubi, Chari-*  
*tas Vestra, Conferte sultis Meursij Glossar. Græcobabar. in Ayam,*  
*& in Ayasou: & Reines. lib. III. V. L. c. ult. p. 625.*